



Misc. 6<sup>o</sup> Q.

Kat. Misc. I, 63.





2.

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**DICTIS**  
**SCRIPTVRAE SACRAE**  
**PROBANTIBVS**

---

QVAM  
PRAESIDE  
**SIGISMVNDO IACOBO BAVMGARTEN,**

S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

AD D. NOVEMBR. A. S. R. CIO IOCCXXXV.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT

**MATTHIAS DRVDE**

HALBERSTADIENSIS

S. S. THEOL. CVLTOR.



---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS HENDELIANIS, 1749. (4)

DIGRÆ  
SCRIBULÆ SACRAE  
PROPHETIA  
TRIVIA  
SALVATORIS  
GRATIÆ MUNDI MUNDO  
PROPHETIA  
TRIVIA  
SALVATORIS  
GRATIÆ MUNDI MUNDO



## LECTOR BENEVOLE.

**P**Ostquam nonnullae disputationes sub praesidio meo habitae iterum prodire coeperunt, primae editionis exemplis breui tempore distractis, saepius me conuenit librarius, qui huic operae impensas fert, rogatum, ut vnam alteramue accessionibus amplificarem. Obtemperavi voluntati viri honesti, atque hanc in primis de *Dictis Scripturae Sacrae probantibus* dissertationem nouis obseruationibus illustrandam sumsi: et quod ex virorum, quorum auctoritatem plurimi facio, iudiciis, multorumque desiderio nouam eius editionem flagitantium intellexi, plerisque non displicuisse operam

A 2

in

in ea scribenda collocatam; et quod in hac  
 commentatione, quam retractando respon-  
 dentis admodum reuerendi elaborationem  
 meam pene effeci, plus mihi licere existima-  
 ui, quam in aliis disputationibus, quibus vl-  
 timam duntaxat limam admoui, quas sine  
 vlla mutatione denuo prodire malui, quam  
 mihi vindicare. Neque tamen, vt quod  
 res est fatear, multa sunt, quae adieci, ne-  
 que forte tanti aestimanda, vt in ea augen-  
 da operae pretium fecisse videri possim.  
 Quae pristinas meditationes relegenti pri-  
 mum obuia siebant, lucem tamen affusura  
 olim dictis et cum illis proxime connexa, in  
 chartam conieci. Ea studio praeterii,  
 quae nouam plane et longiorem tractatio-  
 nem requirebant, satius esse arbitratus, vt  
 licet aucta aliquantum eadem tamen ma-  
 neret, quam noua penitus et alia euaderet  
 disputatio. Pluribus TE non morabor,  
*Lector amice!* Prout TIBI videbitur, his vte-  
 re in rem tuam, aut limatiora praesta.  
 Vale. Ex Fridericiana d. VI. Id. April. anni  
 cccccc xxxviii.

PRO-



## PROOEMIVM.



Vanti referat rei Christianae et solidioris cognitionis theologicae veritates diuinæ ex suis fontibus derivari legitime, et adaequato principio niti, firmissimo scripturae sacrae fundamento superstructas, rerum sacrarum vel leuiter gnarum ignorare arbitramur neminem. Historia rerum gestarum testis exceptione maior satis superque demonstrat, praeclare tam diu cultam fuisse theologiam, quam diu intemeratum viguit inter Christianos scripturae sacrae studium, idque religiose obseruarunt doctores, quod grauiter edixisse PETRVM refert CLEMENS Alexandr. lib. VI. Stromat. ut ἐνδέντες γραφῶν, nihil sine scriptura eiusque testimonio proferrent unquam, ex eo autem tempore insigne detrimentum cepisse, et omnis certitudinis iacturam fecisse, ex quo posthabitis diuinis litteris hominum sententiae in locum oraculorum diuinorum suscepitæ, probationum vices sustinuerunt, atque tunc demum ad pristinum florem redisse, sibique redditam fuisse theologiam, quum solae litteræ diuinæ rerum ad Deum et aeternam salutem pertinentium fidem facere denuo cooperunt: immo ut omnia paucis dicamus, easdem fuisse stantib[us] et carentis

A 3

veræ

verae theologiae cum scripturae sacrae studio vicissitudines. Duplici autem ratione plerosque hanc veri certique in sacris legem migrasse deprehendimus, vt non nulli scripturae sacrae vsum in probationibus veritatum sacrarum omnino sustulerint, alii contra, scripturam ad probandum adhibuerint quidem, inepte tamen, cum incredibili veri sensus verborum allegatorum contorsione: quorum utri grauius peccauerint, et magis tam in scripturam quam theologiam iniurii fuerint, est diuidicatu sane difficillimum. Qui priorem negligendi scripturam errorem errant, ni toti fallimur, fidem suam suspe<sup>c</sup>tam reddunt, nec nisi mirifice incautos et de certa diuinae voluntatis cognitione parum sollicitos in transuersum agunt; qui posteriori vitio laborant non excusatius peccant, sed eo grauioris criminis accusandi sunt, quo certiorem incerti suspicionem ipsi scripturae sacrae faciunt, omniaque incerta reddunt. Inter Iudeos dudum inualuit illa ineptiendi consuetudo, vt scripturas excitent ad sententias, figmenta et nugas saepe aniles confirmandas, quae si contuleris cum sententia probanda, Oedipum esse sine dubio desideraturus. Patrum nonnulli, in primis qui post ORIGENEM scripturam sacram in allegorias transformarunt, ab hoc vi<sup>t</sup>io propius absuerunt, & quo longius a vero sensu sacrarum litterarum inuestigando recesserunt, eo infelicius theologiam tractarunt. In peius iuerunt scholastici, qui hunc neglectum scripturae sacrae mirifice au<sup>x</sup>erunt, tantum absuit vt minuerent. Non intellexerunt acutissimi homines, destitui fundamento theologiam ex scriptura deriuandam, si verba nihil minus quam sententiam probandam complexa, ad fidem producendam

## PROOEMIVM.

7

dam euocantur. Quae vestigia Pontificii non solum in scholastica rerum sacrarum tractatione premunt, sed in litteris publicis, decretis Conciliorum et Pontificum Bullis, a quibus humani quid alienissimum esse arbitrantur, scripturae sententias ita frequenter producunt, ut commentario, immo augure et haruspice opus sit ad probationem perspiciendam. Verum ne mala nostra dissimilemus, nondum nostratum libri hoc malo parent, licet rectiora profiteamur, eo certe minus excusabiles, si nobiscum ipsi pugnamus, & dum scripturam sequi per omnia videri volumus, nostras saepe sententias scripturae sacrae verbis et dictis male congestis, vestimus. Non solum sermones plerique pro concione sacra habitu scatent his probationibus, quae si curatius examinantur, nil nisi accommodationes sunt, ut in formulam cesserint probationes homileticae, verum et ipsa systemata satis multa his vitiosis probationibus referta sunt. De quo insigni naeuo iure suo conqueritur Vener. IO GOTTL OB PFEIFFERVS in Praefatione ad Christoph. Scheibleri *Aurifodinam theolog.* Exinde autem si non ortum traxit, incrementum certe cepit hoc malum, quod plerique aut ignorant aut minus cogitant, quid sit probatio scripturaria, et quae ad dictum probans necessario requirantur. Quamobrem operae pretium facturi nobis videmur, si specimen academicum edituri, haec requisita disquirienda sumamus paullo curatius. Quod argumentum ita tractabimus, ut primum generalia quedam huc pertinencia discutamus, deinde ipsam naturam dictorum probantium explicemus, et tandem nonnulla ex tractatione deriuemus scitu non indigna.

§. I.

## §. I.

**S**i omnis nostrae cognitionis originem inuestigamus, tres eius fontes deprehendimus, vnde quidquid representationum et doctrinae habemus sicut, *sensationem, rationem et testimonium*. Quae ex primo derivantur fonte ea experiri, quae ex secundo veniunt ea scire, quae ex tertio tandem manant ea credere dicimur. Indigent huius cognitionis nostrae principia mutua ope sibi inuicem ferenda, & eo quidem ordine, quo hic ponuntur, ut omne testimonium ratione fundetur, omne autem rationis iudicium in sensationes ultimo resoluatur. Sicut prima experientiae, et tertia fidei via ad cognoscendas res existentes earumque mutationes peruenimus, prima quidem ad cognitionem immediate nobiscum connexorum, tertia autem ad notitiam eorum quae vel loco vel tempore longius a nobis absunt, ita media rationis via ad rerum essentiam, qua possibles sunt, deducimur. Quo quis felicius triplicem hanc inuestigandi omnia viam coniungit, eo certe non amplior solum et vberior, verum etiam distinctior et certior erit eius cognitio, ut contra quorundam infasto omnia diuelluntur, quae DEVS coniunctissima esse voluit, ignorantia et certissimus error enascitur.

Possunt facile tria haec principia ad duo reduci, si testimonium et experientia ad sensationem referatur, aut sensationis propriæ et alienæ conceptus coniunguntur. Quidquid nonnulli de ideis innatis statuerunt, hic non examinabimus. Si vel verissima forent ea omnia facile ad sensationem internam reduci possent, ratione tamen non exclusa. Antiquus quorundam canon: *nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensibus, ex iis, quae dicta fuerunt, intelligendus & limitandus est, ubi verus omnino deprehendetur.*

## §. II.

## §. II.

*Probare (\*) propositionem dicimur, si ex positis aliis il-  
lam deducimus seu ratiocinando concludimus, quae posita  
illi cuius causa instituitur probatio, debent esse notiora et  
certiora seu evidentiora, quam ob rem in analysi rationum  
reddendarum regressu diuerso opus est, vel longiore vel  
breuiore, ad prima cognitionis principia, prout ea, quae pro-  
xime cum illis cohaerent minus magis certa alicui sunt et ut  
talia supponuntur. (\*\*). Pro diuerso argumento seu obie-  
cto omnis quidem probatio debet esse diuersa, hoc est, prin-  
cipio ad eius cognitionem destinato et a sapientissimo DEO  
ordinato conueniens, sibi ipsi homogenea, (\*\*\*), formalis  
tamen eius ratio per omnes cognitionis species una semper  
est et eadem, ut syllogismo vel uno vel pluribus constet.*

(\*) Malumus probationis hic quam demonstrationis voce vti; quia  
lator est, et ad veritates probabiles atque opiniones simul perti-  
net, quum posterior ad solas certas referatur per vsum.

(\*\*) In confusa cognitione producenda breui labore per saltus pro-  
batio propositionis a principiis suis satis remotae instituitur, quo  
distinctior autem fieri debeat in homine exigua instructo cogni-  
tione, eo longius iter est et difficultius ad conuictionem probatio-  
nibus efficiendam. In hominibus vero nonnullarum doctrina-  
rum scientia iam instructis, alias nouas connexas edocendis de  
iisque conuincendis, brevioribus esse licet, et ea supponere quae  
illis extra dubitationem posita sunt. Vnde consequtitur, pri-  
mum ut prudentia et sollicita consideratione opus sit in doctrina  
aliis demonstranda, quod semper hominibus quibus demonstra-  
tio proxime destinatur fieri debet conuenientissime et materia-  
liter seu ratione doctrinarum principiorumque habita, et forma-  
liter ratione argumentationum adhibendarum, quae enthymer-  
maticae magis institui & brevius contrahi possunt, sine formi-  
dine saltus, apud ratiocinandi peritos et exercitatos, quam ab  
illo habitu destitutos: deinde ut eadem demonstratio legitima,

B

quae

quae per se gradus certitudinis absolutae non admittit; ad homines conuincendos relata, gradibus mirifice variet, eamque ob rem vni sufficiat, alteri minus; huic abundet, illi deficiat. Quod utrumque ad apodixin biblicam recte instituendam et dijudicandam multum facit.

(\*\*\*) Sic et turpiter satis sine suo excludunt et alios fallunt, qui quae sciri possunt et debent auctoritate testimoniorum euincere fatigant, eorum quae remotissima sunt, nec propiora fieri possunt sensationem desiderant, aut res existentes eorumque mutationes ex notionibus earundem deriuant. In factis et existentiis sensu aut testimonio, in essentia disquirienda ratione opus est.

### §. III.

*Testimonio probare est propositionem deriuare ex alterius significatione sensationis suae.* In omni testimonio, in primis si in litteras relatum est, duobus ad minimum syllogismis opus est: uno, cuius maior complectatur requisita legitimis testimonii, minor subsumat praesentiam requisitorum: altero, cuius maiori contineatur sufficientia legitimis testimonii ad propositionis quam continet probationem, minori subsumatur sensus testimonii seu propositio, quae confirmetur testimonio. Vnde apparet, ad testimonium, scriptum in primis, non sufficere, ut euincatur esse illud fide dignum, verum requiri, ut extra dubium ponatur, hunc quem testimonio tribuimus esse sensum eius non solum possibilem sed etiam verum, fini et intentioni loquentis aut scribentis conformem.

Possunt hi syllogismi alio ordine ponи, ut prior excipiat posteriorem, non frustra tamen hoc ordine eos posuimus, vt appareat supponi iam priorem si de posteriori cogitatur, quo opus non est nisi prior ante confessus sit, licet nonnunquam accidat, ut ad prioris examen sensu testimonii iam opus sit. Prior syllogismus in demonstratione biblica apud illos omitti potest, qui de sacrarum literarum diuinitate conuicti sunt, apud alias sine convictione

uictionis detimento non praeteritur. Posteriori omnibus in vniuersum opus est, vt adeo examinis via, quae ad ipsam illam conuictionem aequae supponitur, in excitatione oraculorum diuinorum ad fidem faciemad non paecludatur.

### §. III.

*Scripturam sacram vocamus complexum librorum, quos Iudaei et Christiani pro diuina reuelatione agnoscunt. (\*) Qui metonymica in ipsis sacris litteris obvia denominatio ne scriptura, atque ob argumentum, originem et finem *sacra* appellatur. Frequentius in plurali numero illa vox occur rit ut γεαφαι commemorarentur, Matth. XXII, 29. XXI, 42. Job. V, 39. et cum epithero Rom. I, 2. 2 Tim. III, 15. nonnun quam tamen et singularis adhibetur numerus, e. gr. 2 Tim. III, 16. Job. II, 22. Galat. IIII, 30. vbi tamet ut in plerisque aliis locis unum aliquod dictum scripturae sic vocatur. Solut eadem βιβλος et βιβλα nominari, liber singularis, ob eminentiam hoc nomine dignissimus. (\*\*)*

(\*) Nominalis duntaxat est definitio, quae pro instituto iam sufficit. Figendum enim tantum est vocis significatus, qui per has notas sa tis determinatur, ita ut apocrypha scripta excludantur, quae ad scripturam non pertinent, licet ob multiplicem usum uno plerumque cum scriptura volumine comprehendantur.

(\*\*) Satis antiqua est illa denominatio, conf. IOH. CASP. SVICERI Thes. Eccles. sub voce βιβλος: detinuatur a nonnullis ex 2 Tim. III, 13. vbi PAULLVS βιβλα sibi adserri a Timotheo iussit conf. cel. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS in Poeciles tom. I. lib. III. p. 414. posset etiam ex antiqua consuetudine denominandi li bros a primis verbis, formula aut voce auspicali deduci, vt noui instrumenti libri primum, deinde omnis scriptura βιβλος vocentur ab initiali voce Matthaei, qui a prima canonis collectione primum locum occupauit.

## §. V.

*Scriptura sacra continet diuinam reuelationem et a Deo inspirata est. Vtraque propositio vt lemma dogmaticum hic supponitur, cuius demonstratione in systemaribus et peculiaribus libris satis suscepta hic supersedemus. (\*) Portest autem prius theorema ita commode euinci, vt primum characteres diuinae reuelationis ex theologia naturali assumentur, qui ad hos quatuor redeunt, vt nihil falsi contineat; vt cum naturali cognitione DEI conueniat; vt eandem supereret; vt effectus supernaturales, qui infinitam caussam requirunt, habeat connexos, miracula, vaticinia cet. quorsum et internum Spiritus sancti testimonium pertinet: deinde indubia horum characterum praesentia in hoc libro ostendatur. Quod si euictum est, alterum theorema, (\*\*) eandem scripturam deeuineos esse facilius demonstratur, quod tunc ex ipso earundem testimonio probari potest. 2 Tim. III, 16. 2 Petr. I, 21. (\*\*\*)*

(\*) Ex recentioribus hanc prouinciam exornarunt IAC. ABBADIE de verit. et certit. relig. christiana. GOTTFR. OLEARIVS in demonstracione Iesum esse Messiam LAMP. GEDICKE in primis veritatis, S. R. IOACH. LANGE in causa Dei tom. II. S. R. IOH. GVST. REINBECK. in medit. ad August. Confess. tom. I sect. II. celeb. SAM. CHRISTI. HOLMAN. in dem. de DEO et script. sacr. doctiss. CARL. CHRISTI. RESTEL in demonstratione originis, veritatis et diuinitatis sacr. script. vol duob. IOH. TILLOTON in sermonibus XI. a CXXX. ad CXII. vol. III. operum ipsius, et HVMPHR. DITION. in veritate relig. christiana ex resurrectione Iesu.

(\*\*) Non ita coincidunt haec propositiones, vt pro vna haberi possint, nondum enim exinde, quod reuelatio seu manifestatio immediata veritatum natura ignorarum huic libro insit, sequitur, vt ille liber totus a DEO suggestus sit, quod posterius eam ob caussam scorsim probandum est.

(\*\*\*) L2.

(\*\*\*) Latior in scriptura est *Geópnevstæ* quam reuelatio, in iis tantum, quae ignota ante fuerunt, reuelatione opus fuit, reliqua tamen inspirata et suggesta fuerunt a DEO. Non igitur reciprocari possunt hæc propositiones, vt sicut omnia reuelata inspirata sunt, ita etiam omnia inspirata sint reuelata. Eadem ratio ne etiam differt, verborum prolation ex *Geópnevstæ*, et eorumdem consignatio litteris facta *Geópnevstos*: sic sermones Iobi, Regum Israëlis & Iudeæ, discipulorum Christi, quos viuo Domino suo habuerunt, non *Geópnevstos* fuerunt, seu ex inspiratione prolati, ex inspiratione tamen in litteras relati per viros sanctos: sermones Apostolorum publici post Spiritum sanctum iis collatum, et scripta ipsorum ex *Geópnevstæ* prolatæ fuerunt: illa formaliter tantum *Geópnevstæ*, hacc materialiter & formaliter simul inspirata dici possunt. conf. IOH. MVSÆI *Vindicias theologorum Lenensium* loc. I. quaest. VI.

### §. VI.

Hanc scripturam, ut a viris diuinis in litteras relata est, integrum et incorruptum habemus, ut certo nobis hodie constet textum sacrum eadem lingua et iisdem vocibus, quibus eum legimus, ab hominibus sacræ consignatum fuisse, atque intemeratum sine vniuersali codicum eiusdem corruptione ad nos transisse. Nisi illibata haec integritas textus, non vnius alicuius codicis, qualem nos habere omnino negamus, sed plurim et omnium codicum inter se collatorum, extra dubium ponitur, nulla ex scripturæ sacrae testimonio certitudo exspectari potest. Requiruntur autem ad hanc Probationem à*Gevrías* nostri textus praeter examen scripturæ, qualem iam habemus, ad illos characteres diuinæ originis (§. V.) instituendum, argumenta historica et testimonium ecclesiae. Nam quum haec disquisitio quaestio facti sit, probatione critica et historica carere nequit.

Vberius haec discussit accuratissimus IOH. MVSÆVS in *Introductione in theologiam part. II.* cap. VII. §. V. VI. et in *Vindictis Theologorum Ienensium loc. I.* quest. I--III. Qui diuinitatem scripturae sacrae vindicatum iuerunt, plerique et hanc simul integritatem eius probandam suscepserunt, quorum indicem, §. V. dedimus. Conferendi sunt & qui de variantibus scripturae sacrae lectionibus commentantur, doctissimus in primis IOH. ALB. BENGELIVS in *Introduction. ad lectionis varietatem Nou. Test. Graeco subiuncta:* & qui contra Pontificios de script. sacra disputatione.

### §. VII.

Consequitur exinde, ut scriptura sacra sit non certa solum, verum et infallibilis et auctoritas omni fide dignissima. Adeo id necessario cum antecedentibus cohaereret, ut nemo vnuquam de eo dubitauerit, qui non eadem diuinam reuelationem contineri negavit antea, aut Geor̄ieustavus eius in dubium vocauit, aut corruptionem vniuersalem librorum sacrorum finxit. Nam si scriptura DEVM auctorem habet infinita omniscientia, suprema in homines benignitate, incredibili sapientia, sanctissimo veri bonique amore praeditum, non solum non fallit sed nec fallere potest seu necessario certa est, ut vltiore probatione eius effata non indigeant, verum per se assensum indubium mereantur, et postulent. Possunt quidem multae propositiones scripturae aliunde etiam probari et demonstrari, quum et historiae sacrae fides testimoniis aliunde desumptis omnino confirmatur, et DEO omnem theologiam naturalem in litteras sacras simul referre, et cum reuelatione coniungere visum fuit: sed quatenus creduntur, vltiore confirmatione opus est. (\*) Referenda est haec auctoritas ad ipsas simul propositiones de essentiis rerum, earum tamen proxime quae ad DEVM ordinemque salutis hominibus ipso finitulis ingrediendum per-

pertinent, in quo diuinum testimonium alia quaevis longissime antecellit, vt omnis rationis defectum abundantissime suppleat, et vices demonstrationis accuratissimae sustineat. Nam quum intellectus DEI infinitus sit fons essentiarum omnium, easque omnes distinctissime perspiciat, vt nulla in ipsum cadat cognitio a posteriore, licet ea omnis simul sit intuitiva, nullus dubitandi locus relinquitur in testimonio DEI infallibili. (\*\*)

(\*) Neutiquam haec eo trahenda sunt, vt omnem disquisitionem propositionum in scriptura sacra obuiarum, et veritatis earumdem sine detrimento negligi posse putemus: nam praeter demonstrationem hermeneuticam veri sensus verborum scripturac, ipsarum nonnunquam veritatum et propositionum examen a priori suscipiendum est ita, vt si quae iniqua, absonta & contradictoria iis inesse quibusdam perperam videantur, eorumdem conuenientia cum veritatisbus indubius naturalibus ostendatur, has saltim illis omnino non repugnare evincatur, ne aut ipsa scriptura, diuina non esse, aut explicatio proposita fundamento carere videatur. Nihilo secius diuinæ fidei harum propositionum per eiusmodi illarum probationem nihil accedit certitudinis, quam ex solo testimonio scripturæ habent, licet per eius absentiam et neglegentum nonnunquam aliquid ipsis decedere possit certitudinis hermeneuticae.

(\*\*) Prorsus haec iis non repugnant, quae §. I. & III. de testimonio posuimus: hominum enim testimonium eam ob causam ad rerum essentias extendi non potest, quia sensatio eo non pertinet, in abstrahendo autem vniuersales notiones ex iudiciis intuitiuis, et ratiocinando ex iisdem, nemo ab erroris periculo penitus immunis est, arque adeo assensu postulare a quoquam potest, si ne praevio ratiocinationum legitime factarum examine. Quae apud DEV M se habent diuerfissime, in quem nulla ratiocinandi necessitas cedit, et cuius testimonia de essentiis etiam, intuitiuis iudiciis fundantur.

### §. VIII.

## §. VIII.

*Scriptura sacra destinata est ad hominem cum DEO coniungendum, atque adeo erudiendum conuincendumque de necessitate et ratione redeundi ad DEVm expiatione Christi sibi conciliatum, eumque rite colendi.* (\*) Potest hoc theorema dogmaticum ex ipsa necessitate reuelationis immediatae diuinitus factae, diuinisque attributis demonstrari, neque minus ex euidentissimis ipsius scripturae sacrae oraculis, ex quibus omnium certissime de eiusdem destinatione et fine constat. 2 Tim. III, 15. 16. 17. Rom. XV, 4. Luc. XVI, 29. 31. Acto. XVIII, 24-28. XVII, n. (\*\*) Vnde simul de sufficientia sacrarum litterarum seu perfectione ad hunc finem suum ceriores fieri debemus.

(\*) Non excludimus hac mentione institutionis et conuictionis, efficaciam scripturae sacrae supernaturalem, quae non solum ad voluntatem flectendam, verum etiam ad ipsam conuictionem hanc omnino requiritur, atque ipsi indubie inest.

(\*\*) Facile hinc intelligitur, iniurios esse in scripturam sacram eaque abuti, licet eius venerationem praetendant, qui pan sophiam et encyclopaediam omnium scientiarum in illis desiderant, aut rerum naturalium scientiam ex illis deriuare satagunt: quum vel in fine earundem constituendo, vel in medii ad finem suum destinati diiudicatione et applicatione homogenea falli eos necesse sit. Licet enim in naturalibus aequa ac spiritualibus diuinisque rebus scripturam sacram infallibilem esse certo sciamus, neque unquam vulgi errores suos fecisse existimemus: negari tamen non potest, phaenomena naturae optice nonnunquam proponi & qualia intuentibus esse videntur atque apparent, eoque tempore esse statuebantur, quod finis necessarius ita exigebat, quum vel intelligi minus potuisset vel falsi suspicionem facere, si ab illa loquendi ratione discessisset. Quam ob rem a recto aberraret, qui propriam lunae lucem vindicatus ad Genes. I, 16.

I, 16. prouocaret, aut ex *Luc. X, 34.* negatum iret, melius vulnera  
iam tractari posse quam vino et oleo infuso.

### §. VIII.

*Scriptura sacra est adaequatum cognoscendi principium  
in theologia strictius summa, et unicus fons probationis theolo-  
gicae. Theologiae terminus per deriuationem latioris qui-  
dem significationis est, ut omnem de DEO doctrinam indi-  
cet: per usum tamen sola posita significat eminenter doctri-  
nam de DEO nostraque cum eo coniunctione ex scriptura sa-  
cra. (\*) Si cui circulum hic committere videamur, is co-  
gitet ex vnnimi omnium, qui hac voce sensu a philosophia  
distincto, vtuntur, confessione, intelligi eadem complexum  
credendorum de DEO. (\*\*)* Quum igitur credenda nitantur  
testimonio (§. I.) scripturae autem testimonium sit infal-  
libile (§. VII) sequitur, theologiam, si certa esse debeat, ex  
scriptura desumendam esse, et illud demum vocandum esse  
theologicum, quod eadem nitatur: nisi quis aliud praeter  
diuinum testimonium pro infallibili habere, aut praeter scri-  
pturam aliud inter homines statuere testimonium diuinum  
voluerit. (\*\*\*)

(\*) De specialiori vocis significatione conf. IOH. OWENI *theologu-  
mena lib. I. cap. I--III.* et IOH. MUSAEI *Introduct. in Theolog.  
p. I. cap. I.*

(\*\*) Etiamsi haec propositio vel pro hypothesi tantum habeatur, ni-  
hil inde infirmior evadit sequens tractatio, quae tunc hypothe-  
tice vera est: ut quoties testimonio scripturae aliquid probatur,  
toties dicta huic fini destinata his requisitiis necessariis gaudere  
debeant. Credendorum voce hic latius et formaliter utimur,  
ut agenda seu doctrinam officiorum simul comprehendat, et iis  
opponatur tantum, quae sentiri et sciri possunt.

(\*\*\*) Potest eius probatio et ex fine scripturae desumi, qui alias pro-  
fecto suisse nequit, quam ut homines de suo ad DEVVM reditu

per Christum, et ordine salutis in eundo certiores fierent, atque in eundem perducerentur: et ex grauissima Dei Ies. VIII, 19. 20. atque Christi Iob. V, 39, pronunciata sententia, et ex praxi tam Christi quam Apostolorum, apud homines de eius divinitate conuictos, omnes de rebus diuinis quaestiones ad eiusdem diuinationem referentium. Vocamus nos Christiani a Muhamede et eius asseclis Populus scripturae seu scripturarii, ob hanc doctrinæ, quam amplectimur, ex scriptura sacra derivationem, cuius denominationis non est cur nos pudeat.

### §. X.

*Dictum probans scripturae sacrae vocamus sententiam eiusdem, ex qua propositio ad doctrinam de ordine salutis pertinens derivari potest. (\*) Restringimus significationem termini ad probationes doctrinales et theologicas, ut a philosophicis et historicis probationibus easdem distinguamus, ad quas omnes scripturae sacrae sententias pertinere fatemur, qui tamen easdem omnes ad probationes theologicas sufficere negamus, ut sequentia decebunt. (\*\*\*) Si illorum ordinis constituantur pro graduum diuersitate, qua magis vel minus ad hunc finem apta sunt, primi ordinis dicta vocantur classica, (\*\*\*\*) et praecipuae sedes doctrinarum.*

(\*) Differunt per hanc definitionem dicta probantia ab illustranib; quibus veritates ad ordinem salutis pertinentes per exempla, similitudines & contraria clariora reddantur, seu quae de doctrina, ad cuius illustrationem proferuntur, ex fine et intentione proprie non agunt, interueniente tamen analogia & similitudine ad illam accommodantur ex canone certissimo: eorumdem, similium, aequalium et oppositorum eandem, similem, aequalem, et oppositam esse rationem. Non solum cognitionem efficiunt clariorē eiusmodi dicta, verum certiorem quoque, si legitime adhibeantur, vnde et secundariae probationes vocari possunt.

(\*\*) Philologicae allegationes scripturae sacrae fiunt ad vocum significatio-

sificationes et locutionum proprietates demonstrandas, ad quas omnia illius loca idonea sunt, et longe aptiora quam apocryphorum et profanorum auctorum loca: sicut et in ipso scripturae sacrae parallelismo verbali exempla ex eodem libro, quem interpretamur, aliis saltem eiusdem scriptoris diuinis libris desumpta, illis praeserenda sunt, quae ex aliorum scriptorum sacrorum libris petuntur. *Historiae* probationes hic sensu latiore sumuntur, ut non solum narrationes rerum ab hominibus gestarum, eo nomine intelligantur, verum etiam relationes opinionum sententiarumque humanarum. Ipsae tamen hae allegationes historicae ad fidem rei gestae faciendam productae medium doctrinarum probationem nonnunquam sufficiunt: quum exempli gratia ex illis locis, quibus Apostolorum miracula perhibentur aut disputationes habitae et curae de aliorum salute proponuntur, derivare possumus tam divinitus eisdem missos fuisse quam quid ipsos imitaturis factu opus sit. De qua probatione tamen remotoire et mediata hic sermo est, sic dictorum probantium rationes inuestigamus. Requirit vero curam admodum sollicitam, ne in ea fallamur, ea omnia reputando legitima et necessaria absolute, que sub certis circumstantiis tantum ita comparata fuerunt, aut ad peculiares & individuas determinations virorum in literis diuinis propositorum pertinuerunt, non temere ad exemplum aut normam pertrahenda.

(\*\*\*) Postquam Romani ciues per censum in ordines relati fuerunt, et eorum aliquot classes constitutae, praeter infimam plebem, quae opibus omnino destitutos, capite censos, aerarios & proletarios homines complectebatur, omnes qui in aliqua classe erant, locupletes, vocabantur *classici*, atque ad testimonium euocari poterant. Strictiori autem et frequentiori sensu illi tantum, qui ad primam classem pertinebant et CXXV. millia aeris et supra censi erant, *classici* dicebantur. Quia hi reliquos ciues dignitate, auctoritate et fide in testimoniosis ferendis superabant, *GELLIUS* LVIII. 8. scriptores latinos praestantissimos vocavit *classicos*, unde vox vterius translata fuit ad testimonia scripturae sacrae primaria.

C 2

§. XI.

## §. XI.

Si ex iis, quae haetenus disputauimus, ipsa requisita dictorum probantium constitui debent, primum est, *vt desumantur ex libro canonico, seu ex scripto, quod in ciuitate DEI pro diuino semper habitum sit, et internis characteribus diuinae originis atque inspirationis gaudeat.* Quidquid enim librorum ita comparatum non est, ad scripturam sacram non pertinet, nec nisi inepte satis pro testimonio diuino habetur. Testimonii Apocryphorum librorum, in primis illorum veteris Testamenti, quos ecclesiasticos vocamus, non omnem fidem denegamus, multum valent ad probationes historicas, *vt alii antiqui scriptores, doctrinas etiam, quas proponunt, eo tempore quo scripti fuerunt pro veris habitas fuisse comprobant, faciunt tamen ad fidem solum humanam et probabilem producendam, nec inde sequitur, vt ipsa doctrina vera sit.*

Possunt probationes *nar' ἀνθεπτον* et hypotheticae ex apocryphis libris desumti, iis certe quos Pontificii pro diuinis et canonicis habent, *vt vbi opus sit eosdem urgeamus testimonii horum librorum, ad sententiam controversam, cui probandae adhibentur, concedendam, aut diuinitatem his ipsis libris denegandam.* De reliquo vsu apocryphorum conf. IOH. GEORG. HENCKE in *dissert. de Apocryphis.* Excludimus etiam hoc requisito ex dictis probantibus traditiones, sermones DEI & viororum Θεοπνέυστων ore propagatos, et sero demum in literas relatus, quales bene multos exhibet ex patrum scriptis studiose conqueritos IOH. ALB. FABRICIVS in *codice apocryphorum Nou. Teß.*

## §. XII.

Secundum requisitum est, *vt dictum probans ex textu authentico desumatur, seu in lingua originali adhibeatur.* Nam quum nullam habeamus versionem scripturae Θεο-

μνεύ-

*THEUSOV* ab errore penitus liberam, non potest aequalis certitudinis censeri vlla translatio cum ipso textu, saltem non nisi supposita eiusdem conuenientia cum textu, idonea est ad testimonium ferendum.

Notior est et longior controuersia, quae nobis cum Pontificiis intercedit, de authentia et auctoritate versionis vulgatae, quam et hic discutiatur, conf. in primis IOH. AD. SCHERZERV<sup>s</sup> in *Antibellarmino* disp. II, thes. VII. Habent tamen versiones, praeter vsum exegeticum, aliquam vim testimonii humani ad probationes doctrinarum ipsius coetus sacri a quo confectae et receptae sunt, quod de paraphrasibus Chaldaicis in controuersiis Iudeorum aliisque quam certissimum est.

### §. XIII.

Terrium requisitum est, ut dictum probans sit certae et indubiae lectionis: quo si caret, ad textum authenticum non certo pertinet, atque ad testimonium diuinum infallibile, ineptum est. Debet eam ob causam in dictis, quorum diversa est lectio, id ante omnia extra dubium ponit, pertinere locum quaestionis ad textrum originalem, esse eundem sic legendum uti allegatur nec aliter, ob consensum codicum, versionum et antiquarum allegationum. Ita sane testimonium si quod aliud classicum et primarium de trinitate, i Job. V, 7. non ante produci potest legitime, quam a suspicione glossematis liberetur, quod praeter FRIED. ERNEST. KETTERVM cum dexteritate et fide summa suscepit IOH. ALE. BENGELIVS in apparatu critico ad Nou. Test. Gracc.

In tanta diuersarum lectionum varietate benignissimum Numen sufficienti certitudini praecipuarum doctrinarum ita prospexit, vt omnes, quae alicuius momenti sunt, ex locis certis, indubio, lectionis nunquam sollicitatae aut de authentia suspectae, satis luculenter probari queant.

## §. XIII.

Quartum requisitum in eo consistit, ut dictum probans sit sermo ipsius DEI, Christi, aut viri Deorum, prophetae vel apostoli ex inspiratione loquentis. Reliqua hominum dicta in scriptura sacra obvia per testimonium quidem diuinum nobis innescunt, ut fide diuina et infallibili credamus, ea ita vere gesta et pronunciata suisse, vti testimonio diuino continentur, nequaquam tamen ipsa aliquod DEI testimonium continent, atque ad fidem diuinam plane non sufficiunt. Etiam si de alicuius humanae sententiae in sacris litteris occurrit veritate satis aliunde constet, ad probandam doctrinæ certitudinem nihil valer. Sic longe verissima sunt, quae *Iob. VIII, 31.* homo Christi beneficio visu restitutus edixit de precibus profanorum non auditis, sed ob alia certiora ipsius DEI oracula, quibus Prophetæ omnes referti sunt: neque ex verbis *Luc. XXIII, 19.* demonstrari potest Christi prophetica dignitas, licet probationem historicam de miraculis Christi, atque adeo ad mediatam demonstrationem diuinæ eiusdem missionis sufficiat.

Possit exemplum Christi huic regulæ contrarium videri, qui *Matth. XVIII, 5.* Adamum testem et arbitrum excitauit sententiae suæ et doctrinæ de coniugio. Verum salua res est, si omnia bene considerantur. Ipsa enim ratio et formula allegandi, qua Christus sapientissime vititur, egregie regulam nostram comprobatur. Nam quum Christus sententiam non ut verba Adami sed ipsius DEI allegat, quae per Adamum voluntatis diuinæ, ex naturali notitia originali vel revelatione cognitæ, interpretem protulit, ipso facto eam fidem doctrinæ praesertim suisse negat, si DEO auctore prolatæ non sussaret. Aliud exemplum, quod contra hoc requisitum excipi posset cum aliqua veri specie ex *1 Cor. III, 19.* sententiam nostram omnino non infirmat. Verba enim Eliphasi, quæ ex *Iobi V, 12, 13.* excitant

excitanteur, a Paullo non ut diuinum oraculum proferuntur, sed ut antiquissima sententia ab hominum memoria omnibus indubia, quae ut talis ex diuinis litteris inter omnes constare poterat, quod vocē γέγονται significatur. Cui si quis augustinorem hic significationem iret vindicatum, et principium peteret, & innumeris difficultatibus se implicaret, et repugnaret usui publico huius vocis, quae alibi etiam occurrit in probationibus historicis, vbi non diuina oracula sed facta, quorum fidem indubiam faciunt sacrae litterae, allegantur. conf. 1 Cor. X, 7. 2 Cor. VIII, 15. Gal. III, 22. Neque hic locum habet confirmatio huiusmodi sermonum a DEO facta per Deonvesslaw consignationis eorumdem: absit enim per sanctissimum DEVM, ut omnia ea DEO probari, et ab ipso confirmata fuisse arbitremur, quae suis narrationibus interseri curauit.

§. XV.

Quintum denique requisitum est, ut dictum probans sit certae interpretationis, cuius sensus ad probandum adhibitus vel unice tantum possibilis sit, vel per regulas hermeneuticas excludat omnes alios. Nisi aliae interpretationes ad unam omnes alicuius dicti praeter illam, qua ntitur probatio, remoueantur, parum certitudinis producet dictum, de cuius sensu dubii, de alia saltem interpretatione meliori non inuenienda nondum securi sumus. Non sufficit ad hanc certitudinem hermeneuticam, ut proberetur, verba dicti et scopum ex contextu aliquaque determinantibus momentis cognitum admittere aliquem sensum, in se non absonum nec aliis scripturae locis contrarium, ea enim omnia tantum demonstrant, posse eiusmodi sensum ibi locum habere, a posse tamen ad esse non valet consequentia: verum id debet euinci et satis commonstrari, quidquid excogitari debet possit sensuum & interpretationum, id omne vel locum nullum

nullum habere, vel minus ipsi rationis ad veritatem inesse,  
quam illi sensui, quem nostrum fecimus.

Apparet exinde, quam parum illi veritatum diuinarum certitudini  
consulant, qui scripturam sacram ex systemate interpretantur,  
eius sententias tamen pro fundamentis sui systematis habent.  
Debent omnia scripturae sacrae loca sibi ipsis conuenienter ex-  
plicari, et veritates diuinae se inuicem determinare, ne quae il-  
larum repugnantia oriatur, non tamen ex aliquo humano li-  
bro infallibile de eo iudicium ferri potest, sed ex ipsa sedula et  
sollicita ad leges hermeneuticas exigenda diuinarum litterarum  
investigatione. Neque illi partibus suis faciunt satis, qui in de-  
monstrationibus theologicis ex nonnunquam liberaliore sunt in  
assumptionibus axiomatibus biblicis ex oraculis dubii adhuc sensus,  
cum insigni petitione principii, quo operosiores sunt in princi-  
piis rationis demonstrandis.

### §. XVI.

*Vbi haec quinque requisita dicti probantis adfunt, eius  
testimonium ad diuinam fidem sufficit, seu ratio assensus cer-  
tissimi a formidine erroris liberi adeat omnino sufficiens.  
Ita hic argumentamur ad leges in omni testimonio adhiben-  
das (§. III.) Quidquid ipse DEVS infallibilis afferit, id in-  
fallibile et longe certissimum est. Atqui quidquid scriptura  
sacra afferit, id DEVS ipse afferit. (§. V. VI.) Ergo quid-  
quid scriptura sacra afferit, certissimum est. Quidquid scri-  
ptura afferit DEV'M pronunciaisse, illud certo pronuntiavit et  
verissimum est. Hoc vel illud testimonium certo desumtum est  
ex scriptura sacra (§. X. XI. XII.) et in eadem sermo DEI es-  
se perhibetur (§. XIII.) ergo quidquid certo continentur eodem,  
est verissimum. Atqui haec vel illa sententia certo continentur  
eodem (§. XIII.) ergo est illa sententia verissima et infalli-  
bilis.*

### §. XVII.

§. XVII.

*Quidquid per legitimam et necessariam consequentiam ex dicti probantibus sententia, seu axiomate aliquo biblico, ducitur, aequ certum et infallibile est, ac si totidem verbis in eo contineretur. Consecaria legitima aequipollent explicite positis assertionibus scripturae sacrae: habent hoc commune veritates scripturae cum aliis omnibus cuiuscunque demum generis veritatibus, vt quae inde deriuantur, et legitime illis nituntur, minus certa non sint, hoc suo fundamento seu veritatibus, vnde fluunt. Exemplo Christi et Apostolorum id satis extra dubium ponitur, qui frequentissime hac argumentandi ratione usi sunt. Matth. XXII, 29. cet.*

Solent Pontificii vehementer id nonnunquam vrgere, et a nobis postulare, vt omnia momenta doctrinae nostrae explicitis verbis scripturae confirmemus, et ab omni conclusione seu consequentia abstineamus. Non primus quidem hanc disputandi methodum inuenit, potissimum tamen confirmare annis est, FRANC. VERONIVS, a quo Veroniana vocatur, nec non fratres WALENBVRCHII, qui methodum hanc Augustinianam vocarunt: quos IOH. CONR. DANHAVERVS in *polemosophia* aliusque scriptis refutauit.

§. XVIII.

*Quidquid ex duobus pluribusue dictis probantibus inter se collatis, aut dicto et veritate alia indubia, per necessariam consequentiam deducitur, non minus certum est, quam quae verbotenus dicto probante continentur. Multae doctrinae hac probatione nituntur, in qua, si recte formatur, nihil est quod desideremus, licet negari non possit, maiori hic opus esse sollicitudine et cura, quam in probationibus immedia-tis, aut quae per consecaria instituuntur.*

D

Possunt

Possunt haec species probationum biblicalarum vocari per axiomata, conjectaria, theorematata; aut immedia, mediata simplex, et composita. Conf. ioh. MUSEI disp. an conclusiones ex una propositione reuelata & altera evidente, aut ex duabus reuelatis per evidentem consequentiam deductae sint de fide. Ad medium in primis compositam probationem omnia in uniuersum scripturae loca idonea sunt, quum historicæ allegationi inseruant (§ X).

### §. XVIII.

Si de dictorum probantium ordine, dignitate et gradibus diuersis iam solliciti sumus, omne hoc negotium maiore et certiore praesentia horum requisitorum in primis tertii, quarti, quinti inuestiganda absoluatur, primum enim & secundum requisitum gradus non admittit (\*): in tertio autem, illa loca, vbi ne villa quidem varians lectio innotuit, illis omnino praestant, quorum genuina lectio operose nec sine difficultate euincitur: in quarto requisito, quod evidentius DEVS et Christus loquens sifstur in aliquo loco, (\*\*) eo aptior est ad probandum: in quinto requisito maxima graduum diuersitas deprehenditur, vt quo maior certitudo interpretationis obtineatur, eo etiam firmior euadat probatio per allegati dicti interpretationem. (\*\*\*) Nullo quidam requisito penitus carere potest dictum probans, quo tamen certius ei omnia insunt, eo magis probat, vbi unum vel plura minus evidenter adsunt, minor gradus probationis efficitur.

(\*) Nisi quis discriben librorum Novi Testamenti περιτοναιανηνών  
et διατεγκόναιανηνών  
huc perperam pertrahere velit, aut quod  
nonnullis visum est, ipsius θεοπνευστας gradus constituere tam  
respectu oeconomiae diuinæ diuersae, quam argumenti etiam  
quod continent scripta,

(\*\*) Pro-

- (\*\*) Prophetas veteris Testam, ex θεονύμεσι loquitos fuisse & sermones eorum in litteris relatios, esse sermones Spiritus sancti, satius comprobatur *Aetor.* XXVIII, 25. 2 *Petr.* I, 19. 21. De apostolis eorumque sermonibus publicis et solemnibus idem constat ex *Mattib.* X, 19. neque minus de scriptis ex *i Cor.* VII, 10. 25. Si ab huiusmodi certitudine discesserimus, omnia reliqua hominum sacrorum dicta & sermones tam non fuerunt legitima, et post Spiritum sanctum iis collatum. Hinc efficitur, ut non solum sermones Apostolorum, quos viuo Christo antequam θεονύμεσι instruerentur, David, Salomo aliquae extra θεονύμεσι positi, protulerunt, ex hoc numero dictorum probantium exclusi: verum etiam illos eorundem apostolorum sermones, qui post effusionem spiritus sancti ab ipsis habitu perhibentur in historia diuina, rite examinari debeant. Sicut enim in agendo a lapsu & peccati periculo immunes non fuerunt, quod vel unius Petri, *Galat.* II, 11. ceter. exemplo indubium est, ita etiam nec sermones ipsorum omnes inspirati et diuinitus suggesti ipsis fuerunt, atque adeo nec infallibles. Quod ad scripta tamen eorum pertrahi non potest, nisi ab ipsis scriptoribus divinis certiores siamus, esse nonnulla suam duntaxat humanam sententiam consilium non DEI oracula, quod *i Cor.* VII, 12. 15. 40. factum est.
- (\*\*\*) Gradus probabilitatis hermeneuticae non omnes quidem huc pertinent, superiores tamen qui certitudinem moralem consiliunt, ad quam amplectendam obligamur, in quam diuersitas multa cadit. In primis huc pertinet, si alicuius doctrinae destinata et peculiaris tractatio, aut mentio obiter facta alicubi occurrit.

### §. XX.

*Multum dignitatis et ponderis accedit dicto probanti, per authenticum eius usum in probandis doctrinis diuinis. Nam quoties Christus et Apostoli aliquod dictum adhibuerunt ad confirmandam sententiam prolatam, tories declararunt*

D 2

runt

runt haberi ab ipsis eiusmodi dictum pro probante, neque hic facile eo delabendum est, vt *κατ' ἀνθεπον* ea facta esse dicamus. Magnum hoc in primis momentum trahit in sensu mystico ad probandum adhibendo, quod non nisi praevente scriptura sacra legitime fieri potest, & indubie aequalitate rationum obseruata.

In eo igitur omnino errarunt *Grotius, Clericus*, & qui recens hos sequitur *Auctor versionis germanicae Pentateuchi Wertheimii editae*, quod loca veteris Testamenti ad probandam doctrinam de Christo in Nouo Testamento a viris *Θεοπνέουσοις* adhibita, posthabita prorsus hac authentica allegatione interpretantur et aliorum trahunt.

### §. XXI.

*Vnum dictum probans primi ordinis et vere classicum praefat longissime multis aliis non solum alienis, sed dubiis etiam aut minoris gradus.* Sicut veritatibus demonstratis nouum robur & maior certitudo in se absolute non accedit, noua demonstratione alia & diuersa a priore, ita & dogma ob dictum probans credendum, firmius non euadit pluribus dictis probantibus cumulatis. Multum valet varietas et multitudo dictorum probantium non solum in probationibus compositis, verum et in explicitis & immediatis, non vt certitudinem producant, quam singula sola non habeant, aut augeant eandem, sed vt foecundiora iudicia, & propositiones determinatiores formentur, ex quarum collatione cognitio veritatum mirifice amplificatur.

Quod in aliis argumentis veritatum locum habet, hic etiam in testimonii valere debet, vt negato valore dicti alicuius probantis ob evidentem defectum unius vel plurium horum requisitorum, non statim res ipsa negetur aut negari putetur. Neque doctrina ipsa conuelliatur aut negatur, si vel omnia antea pro probantibus

tibus habita oracula DEI ipsi ab iudicarentur, dummodo alia dicta substituantur aut probatio mediata sufficiatur. Nemini tamen dicti alicuius suspicionem facere licet, sine producta ratione fidei denegatae testimonio.

### §. XXII.

*Potest de momento doctrinarum iudicari ex numero dictorum easdem probantium, faciliore et difficiliore earundem probatione ex scriptura deriuanda. Si sapientissimum auctorem scripturae cum fine eiusdem in litteris relatae contulerimus, profecto aliter pronunciare non possumus. Silentium Scripturae non ex absentia expliciti testimonii, verum totali defectu virtualis et impliciti testimonii aestimandum est, et tunc eius omnino ratio habenda est, in limitibus doctrinae sacrae scribendis, eiusque diuersis ordinibus constitutis.*

Longissime haec absunt ab illorum sententia, in quam Arminiani transierunt, ut eas doctrinas tantum fundamentales concedant, quae totidem verbis in scriptura, immo non nisi quae saepius in eadem occurunt.

### §. XXIII.

*Omnis igitur probatio theologica requirit subsidia exegistica, philologica et logica: exegerica necessaria sunt ob requisitum quintum, philologica ob secundum in primis et quintum, immo etiam quartum, logica autem ad omnium horum examen instituendum legitimum et ipsam interpretationem. Misere sibi suisque rebus consulunt, qui ad systematicam Theologiam subsidiis his destituti accedunt, possunt historiam cognitionem doctrinarum, quas theologi ex scriptura deriuant, consequi, veran*m* convictionem nequam, alienis non suis oculis videre coguntur.*

D 3

Non

Non dogmatica tantum, verum & polemica theologia incrementa caperet certissima, si ab omnibus haec obseruarentur curatus, et major cura adhiberetur, tam in ponendis, quam examinandis dictis probantibus.

### §. XXIII.

*Ea igitur theologia est biblica, scripturaria, suo nomine digna, quae omnes doctrinas ex scriptura sacra legitime derivat. Quod ut rite peragatur, necessarium est, primum ut quidquid explicite in eadem deprehenditur, ira retineatur, et axiomata biblica in theologia omnibus aliis probationibus praferantur; deinde ut quidquid implicite et per legitimas consequentias inde derivandum est, quam fieri potest proxime accedat ad immediatam probationem et ambages ac principia heterogenea evitentur; ut ipsa denique propounderis ratio vulgaris non phrases solum scripturae, verum omnem docendi modum stricte obseruet.*

Tam artis theologia biblica limitibus circumscribi non potest, ut omnes voces ἄγαροι ex eadem proscribantur, propositiones ad verbum non obviae in scriptura excludantur, technici imprimiti termini in controversiis tractandis, et esoterica doctrina penitus evitentur, quod praeter Socinianos causae suae praescidium insigne sic consecuturos, Arminiani plerique postulant, conf. CHRISTOPH. FRANCKII Exercitatt. Antilimborchianas Exerc. I. cap. III. Opera tamen danda est omnino, ut in omni theologia scripturac sacrae doctrinam et phrasin non migremus, sed hanc normam et regulam dogmatum et veritatum sequamur quam obseruantissime.



RESPON-

# RESPONDENTI

S. P. D.

## P R A E S E S.

**R**ecte et laudabiliter agis, quod litterarum sacrarum stadium academicum, in lenensi et nostra bonarum artium sede emensus, domum iam concessurus sine publico diligentiae, et profectuum specimine plane non discedendum TIBI esse arbitraris, ut honoratissimae familiae, patriae et orbi eruditio de tempore, studio et labore non male locato constet. Quam primum huius me TVI consilii certiorem fecisti, insignem ex eo voluptatem cepi, neque honesto desiderio villa ex parte defuturus, operam meam TIBI addixi, et argumentum, in quo industriam exerceres, viriumque periculum faceres, proposui. Elaborationem, quam mihi exhibuisti diligentissime confectam, ita retraustaui, ut arguento facere satis, & omnia eo digererem ordine, quo hic apparent.

Abitu-

Abiturientis festinatio, meique labores, quibus occupatissimus teneor, maiori curae et emendationi obfuerunt, sufficiet tamen, si eundem TE in ea defendenda exhibueris, quem TE cognoui in elaboranda, ad praelarum dexteritatis TVAE documentum. Faxit DEVS O. M. vt theologiam ex his sacrarum litterarum fontibus haustam per omnem vitam sancte colas, religiose obserues, doctrina et uita exprimas studiosissime, eius felicitatem certissimam experiaris aeternum, et ciuitati DEI fructus feras amplissimos. Dedi in Fridericana prid. Non. Nouembr. clo locc xxxv.



*Th. 135*

**ULB Halle**  
004 917 227

3



*m. c.*





DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> THEOLOGICA  
DE  
**DICTIS**  
**SCRIPTVRAE SACRAE**  
**PROBANTIBVS**

QVAM  
PRAESIDE  
**SIGISMVNDO IACOBO BAVMGARTEN,**

S. S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

AD D. NOVEMBR. A. S. R. C<sup>I</sup> 10CCXXXV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT  
**MATTHIAS DRVDE**

HALBERSTADIENSIS  
S. S. THEOL. CVLTOR.



HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS HENDELIANIS, 1749. (4)